



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.38. Benedictus Monasteriorum Reformator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

guminum pauca grana neglexisset, ei pœ-
nitentiam injungebat. Tanta erat pau-
pertatis cura.

Sæculum IX.
A. C. 807.

Cum jam ipsius Monachi plusquam
trecenti numero essent, claustrum ex-
trui jussit centum cubitos longum & la-
tum viginti, quo postea plus quam Mo-
nachi mille continebantur. In diversis
etiam locis Cellulas seu parva Monaste-
ria condidit, quibus suos præpositos da-
bat. Hæc postmodum Prioratus appel-
lata.

§. XXXVIII.

*Benedictus Monasteriorum Refor-
mator.*

Ceterum quidam Episcopi tanti viri fa-
ma permoti instantissime postularunt,
ut sibi Monachos mitteret, quorum ex-
emplum Novitii alii sequerentur. Ita e-
suis viginti delectos Leidrado Episcopo
Lugdunensi misit, Monasterium Insulæ
Barbaræ restauraturos. Huic Congre-
gationi nempe Fratribus Lugdunensibus
scripsit aliquando Alcuinus, ad perseve-
randum excitans, & præmuniens adver-
sus errores ex Hispania allatos, videli-
cet adversus supra memoratam Adoptio-
nem Felicis Urgellitani & Baptismum u-
na immersione conferendum. Illos
quoque damnabat, qui ad panem Evcha-
ristiæ salem adhibebant.

c. 36.

epist. 69. 70.

Hist. Eccles. Tom. X.

U u

I p s e

Sæculum IX.

A. C. 807.*Mirac. 6.**Maxim. c. 3.**Theod. Carm. lib. 2.**to. I. p. 421.**c. 13. 7. 10.*

Ipsæ Alcuinus, cum tanta de Benedicto referrentur, eidem amicitia sincere necessitudine junctus est, & Epistolas ad eum dedit, eo numero, ut in volumen separatum excreverint. Viginti Monachos ab eo sibi mitti impetravit, qui Abbatiam Cormericanam fundarunt. Theodulfus quoque Episcopus Aurelianensis a Benedicto Anianensi petiit sibi mitti Monachos, quo Monasterium Micienfe seu S. Maximini, tempore bellorum Pipini Regis contra Gafarium Ducem Aquitania gestorum destructum, eruderibus excitarent. Monachi nulli ibi supererant; sed eorum cellas occupabant viri sæculares aut mulieres, aut in stabula equorum canumve fuerant conversa. Igitur Theodulfus hoc Monasterium restauraturus, Bona ab aliis usurpata repetiit, de suis addidit, & missi a Benedicto Monachi illic sensim magnum Fratrum numerum congregarunt.

Ad illud tempus, quo Monasteria reformabantur, forte referendi sunt complures Articuli, quos Imperator Carolus Theodonis villæ año octingentesimo quinto edidit. In iis præcipitur, ut qui ad Monasterium veniunt, primo ut Novitii probentur, & deinde in illa Domo maneat, ut Regulam plene addiscant, priusquam foris ad obeunda munera adhibeantur. Qui mundum relinquunt, ne servire Re-

gi cogantur, saltem deinde bona fide Deo
 ferviant, & qui Deo se consecrant, alter-
 utram eligant professionem, ut inter Cle-
 ricos secundum Canones vivant, vel
 Monachi Regulam sequantur.

Puellis sacrum velamen non detur,
 priusquam ad illam ætatem pervenerint,
 qua fatis capiant, quid faciant, & in No-
 vitiatu probentur. Nimium magnus
 Servorum utriusque sexus numerus in
 Monasteriis non suscipiatur, ne pagi red-
 dantur deserti. Congregationes non
 sint majores, quam ut eas quilibet præ-
 positus suis consiliis regere possit. Lai-
 ci de interioribus Monasterii non decer-
 nant.

§. XXXIX.

Monasterium S. Guilielmi de Deserto. vit. tom. 5.

Anianensium Colonia reliquis illustrior
 fuit Monasterium Gellonense, funda-
 tum munificentia Wilhelmi Ducis A-
 quitaniæ, quo ipse se recepit. Is e pri-
 mis Gentis Francorum stirpibus editus,
 Patre Theodorico Comite & Aldana Ma-
 tre, quam Caroli Martelli filiam fuisse
 ferunt, liberalibus Disciplinis, Philoso-
 phia, sacris Litteris, illisque artibus, qui-
 bus nobiles adolescentes corpus ad bel-
 lum durare solent, instructus Regi Caro-
 lo traditur, ad familiaria obsequia Prin-
 cipis lateri semper hasurus. Ceterum

Uu 2

ea

Sæculum 18.
 A. C. 807.

c. 8.

c. 9.

c. 14.

c. 11.

c. 12.

c. 15.